



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Excommunicatio minor diuersimodè consideratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

284 Partic. cum exco. illic.

Si pro delictis anathema quis efficiatur.

Et exponuntur sic: Os, hoc est loquutio, siue coram, siue per literas, siue per nuncium. Orare: hoc est communicare in oratione & diuinis, quod fit simul eum eo orando, vel audiendo Missam vel officium diuinum quodcunque. Nec prædicatio tamen nec lectio quantumcunque theologalis computatur inter officia diuina in proposito. Valde: hoc est salutare: & loco salutationis dicitur ei, Deus te illuminet, aut aliquid huiusmodi. Communio: in quibuscunque actibus specialiter legitimis. Mensa: simul comedere, &c. Ita quod in huiusmodi non attenditur propinquitas aut etiam identitas loci, in quo vterque orat aut comedit: quoniam in eadē camera possunt ambo seorsum confedere & orare absque eo quod cōmunicent in comedendo aut in orando vt cōtingit quādo pulsatur ad Aue Maria. & singuli seorsum dicunt: quoniam non pulsatur ad orationem communem, sed priuatam. Et similiter in eadem Ecclesia si vnus audit Missam in vna capella, & excommunicatus audit in alia capella, non communicant. Communicarent autem si ambo interessent vespere, aut vni Missæ aut vni processioni, etiam si vnus esset in capite, & alter in cauda processions extensæ per duo miliaria. Et hinc fit, vt si excommunicatus transit per Ecclesiam, aut est ibi non vt intersit vespere, sed propter negotium aliquod licet transeundo genu flectat: & oret priuata oratione, non propterea communicant dicentes vespere cum illo, sicut nec ipse communicat cum illis; & ideo nullus in hoc peccat.

*Excommunicatio minor diuersimodè
consideratur.*

EXcommunicatio minor (hoc est Ecclesiastica
censura, qua homo excluditur à passiva tantūmodo par

Excommu. minor. 285

do participatione) sacramentorum, & ex consequenti à passiva electione canonica: quia ius sic disponit, extra de cleri. excommu. ante concilium Cōstantien. frequenter poterat incurri: sed post illud concilium in duobus tantum casibus participando cum excommunicatis, &c. incurritur. Primus, si participatio interuenit cum nominatim excommunicatis publicè. Secundus est, si cum excommunicatis propter manum violentam in clericum notoriā. Et intellige in utroque casu tunc incurri minorem excommunicationem, quando participatio interuenit extra casus à iure permisso, in casibus enim à iure permisis etiam cum istis participatio non inducit excommunicationem minorem.

Tenor autem decreti Constantiensis relati à sancto Antonio Archiepiscopo Florentino, est iste: Insuper ad euitandum scandala & multa pericula quæ conscientis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus quod nemo deinceps à communionem alicuius in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis vel extra prætextu cuiuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit in, vel contra personam, collegium, vel vniuersitatem, Ecclesiam vel locum certum vel certam terram à iudice publicata vel denunciata specialiter & expressè: constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque: saluo si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum sententiam latam à canone adeo notoriè constiterit incurrisse, quòd factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio

gi

286 Excommu. minor.

gio excusari, nam à communionem illius, licet denunciatus non fuerit: volumus abstinere iuxta canonicas sanctiones.

*Excommunicatio minor que inducat
incommoda.*

Peccat igitur mortaliter peccato sacrilegii excommunicatus minore excommunicatione si se ingerit passivè participationi cuiuscunq; sacramenti: quia exclusus ab Ecclesia, indignus accedit: sicut excommunicatus maiore ingerens se diuinis. Participantes autem cum excommunicato minore, nullam ex participatione incurrunt censuram, quia excommunicatio minor transit in tertiam personam. Et reservatur absolutio ab excommunicatione minore sacerdoti proprio, hoc est sacerdoti qui potest absolvere à peccato mortali: non quia excommunicatio minor habet annexum peccatum mortale: sed quia est vinculum Ecclesiasticum, ac per hoc soluendum à ministro iurisdictionis Ecclesiasticæ: quam non habet quilibet sacerdos qui potest absolvere solum à venialibus ea ratione quia poenitens se illi submitit in materia non necessaria in sacramento poenitentiae: qualis materia est peccatum veniale, quod homo non tenetur confiteri. Ex hoc enim quod poenitens sola peccata venialia confitenda habet, obtinet ut possit se confitendo subicere cui maluerit sacerdoti: quia nulli tenetur de illis confiteri. Sed ex hoc non est privilegiatus ut possit à quo sacerdote voluerit absolui à vinculo Ecclesiasticæ censuræ: quia totum oppositum concurrat hic, quoniam tenetur de hac censura quærere absolutionem & obtinere eam ante absolutionem à quibuscunq; peccatis, & cuiusque sacramenti susceptionem: & propterea recurrere ad ministrum Ecclesiae habentem aliàs potestatem iurisdictionis. Et possit
diaconus,